


779485



DISSERTATIO HISTORICA  
DE  
ORTU ET NATIVITATE  
JOANNIS DE HUNYAD.





DISSERTATIO HISTORICA  
DE  
IOANNIS HUNNIADIS  
SIVE  
CORVINI  
HUNGARIAE GUBERNATORIS  
O R T V  
E T  
N A T I V I T A T E

Q V A M  
*DIVINIS SVB AVSPICIIS*  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO*

D O M I N O  
G V I L I E L M O H E N R I C O

SAXONIAE, JVLIIACI, CLIVIAE, AC MONTIVM, ANGARIAE  
ITEM WESTPHALIAEQVE DVCE etc. etc.

*INDVLTV SVPERIORVM*

*a. d. Mart. MDCCVIII.*

P V B L I C E D E F E N D E N T  
P R A E S E S

M. IO. DAVID BAIERVS

R E S P O N D E N S

CAROLVS CHRISTIANVS BESSER  
LISSENA-OSTERLANDVS.

---

J E N A E,  
LITTERIS WERTHERIANIS.

R E I M P R E S S A  
EX E M P L A R I  
IN CELEBERRIMA BIBLIOTHECA  
VIRI DOCTISSIMI ET ERUDITISSIMI,  
SPECTABILIS AC PERILLUSTRIS  
D O M I N I  
NICOLAI SENIORIS JANKOVICH  
DE  
W A D A S,  
COMPLURIUM INCL. COMITATUUM  
TABULAE JUDICIARIAE  
E PRIMARIIS ASSESSORIS  
A S S E R V A T O.



Josephi Thewrewk de Ponor,  
Jurati Causarum in Hungaria et Transsilvania  
Fori utriusque Advocati.

---

P E S T I N I,  
Typis Matthiae Trattner de Petroza, 1824.

**A**DEO illustre ac decantatum est inter scriptores nomen **IOANNIS HUNNIADIS**, ut hospitem eum in historiis esse oporteat cujus solae peregrinentur aures, neque in peruagato de viri hujus rebus gestis sermone versentur. Heroem illum vocant incomparabilem, quotquot aliquam ejus mentionem faciunt; in vituperando eo, quantum scimus, nemo, in laudando vero omnes pene occupantur. ut parum absit, quo minus exentum illum putes a communi hominum plerorumque conditione, qui, cum ab his laudentur, ab aliis interim culpari se sentiunt. Illud tantummodo in admirationem nostros inducit animos, qui fieri potuerit, ut tam exigua sint natalis diei, nec non familiae indicia, ex quibus tanti viri genus et natiuitatis cognosci queant. Quod si enim antiquos Hungarorum annales quis adeat, nunc fabulosas narrationes veris admixtas, nunc manca pleraque et mutila, nunc altum penitus inveniet ea de re silentium. Et hanc causam fuisse arbitramur, quare in recentiorum etiam scriptorum monumentis, vel parum, vel omnino nihil reperire liceat, quo de Hunniadis nostri ortu certior reddatur curiosus lectoris animus; quandoquidem ubi historiarum fontes exaruerunt, riuos quoque non ocludi, sed ces-

sare simul constet. Nobis in praesenti quidem constitutum non est, in tanta rei obscuritate usque eo pertendere, ut vastum illud scriptorum pelagus exhauriamus, aut quorumcumque mediocres operas in hunc censum trahamus. Abeant in suas partes, qui vel veritati, vel probatissimae cordatorum virorum opinioni refragantur, fabulis vero et ineptis hominum figmentis sese manciparunt; simplex est veritatis via, quae nec ambagibus habet opus, nec errorum aperit aua. Quamobrem nos prius aut antiquius habebimus nihil, quam vt in hoc maxime negotio tutiorem amplectamur sententiam, ac scriptorum fide dignorum vestigiis inhaereamus, reliqua vero, si qua sunt vel dubia vel suspecta, nunc levi adtingamus digito, nunc sicco prorsus pede praetereamus. Deus coepta secundet!

C A P. I.

*Scriptores exhibet nonnullos qui  
Io. Hunniadis historiam per-  
texuerunt.*

§. I.

Solent qui in magnatum familias originemque inquirent, primam semper curam locare in inuestigatione scriptorum, quibus velut oraculis utantur, suamque adeo narrationem ipsis acceptam referre debeant. Idem ergo

ergo nec nobis vitio verteretur, quando celsissimi herois IOANNIS HUNNIADIS ortum exploraturi, eos recensamus prius, qui suas nobis in hoc negotio commodarunt operas, quorumque historicam fidem potissimum sequi debuimus.

§. II. Hoc ipsum vero dum adgredimur, statim a principio non unius generis esse eosdem, deprehendimus; alii enim prolixam et sermone longo deductam adhibent narrationem, alii contra subcincte, et ὡς ἐν παρόδῳ rem exponunt, prout nimirum uniuscujusque institutum id postulare visum fuit. Taceo quod quamvis τῶν συγγραμμάτων perpauca supersint monumenta, nihilominus alios ex antiquorum, et ex recentiorum numero alios hic commemorare opus sit; ita tamen, ut primordium fiat ab iis, qui vel antiquitate vel scriptionis grauitate ceteris anteferri merentur.

§. III. In his itaque principem adsignare locum non dubitamus ANTONIO BONFINIO, viro de bonis litteris praeclare merito; qui ut antiquitatis ac eruditionis laude prae ceteris eminet, ita nec industria et in recensendis aliorum gestis sinceritate cuiquam facile postponendus erit. Patriam habuit Asculum Apuliae oppidum, ubi egregiis animi foetibus tantum effecit, ut clarum apud externos nomen adipisceretur, ipsique adeo Hungarorum regi Matthiae Coruino innotesceret\*; cuius postea hortatu Hungaricarum rerum historiam adornavit, eamque Vladislao Matthiae successori dicavit.\*\* Operam sane praestitit haud mediocri laude dignam;

A 3

ut

\* vid. *Quenstedt de patriis viror. Illustr. p. 383.*

\*\* vid. *ipsius Praefat.*

ut enim antiquitatum atque historiãrum erat scientissimus, ita Hunniadis maxime ortum et nativitatem omnium optime indagare potuit. Multa ille detexit, quae intacta reliquerunt alii, multa in his reiecit fictitia, quae pro veris olim, incerto licet auctore, circumferebantur; verbo, officium boni scriptoris explevit quam sollertissime.

§. IV. Bonfinio multis modis inferiorem putamus MICHAELEM RITIVM ICTum natione Italum, qui ut in narrandis iis quae de Hunniade dici poterant parcius fuit, ita quaecumque tandem libris suis duobus *de Hungariae regibus* recenset, eorum maximam, ni fallor partem Bonfinio debet, cuius adeo rhapsodus vocatur MARTINO BRENNERO.\* Aliqua tamen in ipso reperire licet haud prorsus ἀπρὸς διόνυσα, immo et erudite adposita, quapropter suam ipsi laudem tribuere non veremur.

§. V. Accedit his non inmerito T. ALEXANDER CORTESIUS, velut poeta inter historicos, aut historicus inter poetas nuncupandus, quem felicissimo illo multorumque eruditorum feraci *Angeli Politiani* seculo natum esse, testatur VINCENTIVS OPSOPOEUS\*\* Hujus prostat egregium ac vere heroicum *de laudibus Matthiae Corvini* carmen, quo idoneum se tanti principis encomiasten luculenter testatus est. Varia ibi eaque notatu digna, de Ioanne Hunniade Matthiae Regis patre exhibet, coniecturam inprimis, aut, si mauis, traditionem non illepidam suppeditat, ex qua Corvino-

no-

---

\* *In coronide Histor. Hungar. Bonfinio adnexa.*

\*\* *In Praefat. ad Sebast. Hallerum.*

nomen ac insignia deduci a nonnullis sueuerunt; uti suo postea loco uberius docebimus.

§. VI. Nec silentio praetereundus nobis est AENEAS SYLVIVS Piccolomineus, postea Pius II. Papa Romanus adpellitatus, cuius diuersa non historica solum, sed et geographica exstant opera, quibus magna undique ab eruditis elogia tribui solent. Nimirum et hunc honoris caussa hic nominamus, quando de Hunniadis nostri ortu et fatis nonnulla egregie perhibuerit. Interea idem quod in aliis, etiam in illo desideramus, nempe quod genuinas familiae Coruinae radices vel ignorauerit, vel saltem neglexerit.

§. VII. Possemus et hic mentionem iniicere PHILIPPI CALLIMACHI Geminianensis, cui celebre conciliauit nomen scripta ab ipso *historia Vladislai regis*, et funestissimae illius *cladis Varnensis*. Verum enimvero cum praeter ea quae institutum eius primarium concernunt, in recensendis rebus ab Hunniade gestis tantummodo occupetur, familiae vero istius prorsus sit inmemor, facile patet eidem haud magnopere nunc inmorandum esse.

§. VIII. Magis vero ad propositum nostrum facere videtur praeclarum opus FRANCISCI Comitis de NADASD, quod vocat *Mausoleum Regni Apostolici Hungariae*, quo non ducum solum primorum, sed et regum, qui ad Ferdinandum usque IV. imperii huius fasces administrarunt, effigies aeri incisas exhibet, vitasque simul inscriptionibus argutis complectitur. In hoc utique deprehendere aliqua licuit, quae in Hunniadis nostri historiam sollicitius inquirendi ansam praebuere: quamuis enim laudatissimus Comes oratorem magis quam historicum egisse, quibusdam visus sit; nihil tamen obstat

stat, quo minus ipsum velut indicem sequamur, qui ad interiora historiae adyta pertingendi viam ostendat.

§. IX. Atque hi praecipui fere sunt, quibus in pertexenda narratione nostra inniti potuimus. Reliqua scriptorum recentiorum turba apud nos tanti non fiet, ut peculiari eam recensione prosequamur; paucos solum delibabimus, eosque primicerios, qui dum variorum principum historiam, aut chronologiam concinnarunt, non potuerunt non Coruini nominis, et qui eodem insignitus fuit Ioannis Hunniadis passim meminisse. Notus est ABRAHAMVS BVCHOLZERS Schonauiensis, theologus pariter et antiquitatum sacrarum profanarumque indagator celeberrimus: illius nos *Isagogen Chronologicam* haud parum in praesenti negotio fatemur consuluisse; uti enim singularem semper in ducenda rerum memorabilium serie ostendit industriam, ita quod ad nostrum adinet institutum, egregia ipsi tribuere merita non dubitauimus. Ab eo vero dum discedimus, haud quemquam maiori iure subiungendum censuimus quam SETHVM CALVISIVM Gorslebiensem, cuius insigne profecto est *Opus Chronologicum*, quodque eruditorum pene omnium adplausu susceptum fuit. Atque huius ideo potissimum habenda erat ratio, quod annorum computatione adcurata proficuum nobis operam praestiterit, indeque dignus omnino fuerit, qui scriptoribus nostris adnumeraretur.

§. X. Supersunt ex iis, qui Germano idiomate scripserunt duo, illustris nempe Dominus HENRICVS ANSHELMVS de ZIEGLER, Potentissimi Electoris Saxoniae Consiliarius; et consultissimus vir GREGORIVS ANDREAS SHMIDT, reipubl. Norimbergensis olim a consiliis; quorum ille in *Schau-Platz der Zeit*, hic in *Scul-*

*Sculptura historiarum memoratrice*, (cui artificiosam adhibuit manum caelator eximius *Christophorus Weigel*) eruditas plane nostroque conatui adprime utiles suppeditant lucubrationes. Hi ergo aliorum instar omnium nobis esse poterunt, ut ad plures nunc excursus facere, vel minus consultum videatur, vel superuacaneum.

C A P. II.

*Fabulosas de Ioannis Coruini ortu traditiones recenset, ac refellit.*

§. I.

Posteaquam de scriptoribus, quorum nos fontes degustasse ingenue fatemur, actum quodammodo fuerit, proximum iam est, ut fabulas de Hunniadis nostri natalibus hinc inde obuias examinemus; sic enim futurum speramus, ut discussis mendaciorum nebulis res ipsa, uti recte se habet, clarius pateat. Enim uero ut in causas nunc inquiramus prolixius, unde tot in uniuersum nugae, tot fidem nostram excedentia in orbem figmenta inuolauerint, non superfluum modo, sed et a scopo alienum foret. neque enim priscis olim temporibus defuere inter eruditos, qui in exploranda fabularum origine diu multumque desudarunt, et has denique nihil aliud quam otiosarum mentium foetus, aut calumniatorum praua opera esse, conmonstrarunt. Nos ergo hic

B

intra

intra cancellos mansuri id vnice meditatur, quo falsae traditiones quibuscum certandum nobis erit, dissipentur, et ex suo inuolucro veritas in lucem producat.

§. II. Quem vero iam figmenti auctorem, aut, si placet, praeconem in scenam prodire iubebimus? cum in latibulis suis absconditi dudum haesitauerint, qui late serpentis rumusculi semina disperserunt. \* Audiamus BONFINIUM virum cordatum, qui quas suo tempore frequentes audiuit hominum narratiunculas, ita refert: \*\* *Sigismundum* (Romanorum Imperatorem) aiunt in *Transylvanis* agentem, cum ingenua venustissimaque *Valichi* cuiusdam nobilis puella concubuisse, hanc tertio e se mense repetitam, grauidam deprehendisse, donasse magnifice, ac symboli loco annulum reliquisse, mandasse ut quidquid pareret diligenter aleret, educaretque, educatumque ad se cum symbolo mitteret. Hanc deinde ample dotatam *Valacho* haud quaquam ignobili mox detecto facinore nupsisse, qui ob dotis amplitudinem et ingenui stupri gloriam oblatam a puella conditionem minime recusauit. Scitum et elegantem hinc puerum in tempore fuisse editum, quem mater *Ioannem* adpellavit. quum infans in matris gremio iaceret, aduolasse coruum et annulum symboli loco datum abstulisse: parentem ingenti dolore correptam virum subito exorasse, ut coruum insectaretur, et annulum recuperaret, ne pueri spes magna inauspicatae auis rapina perderetur. Virum tandem confosso sagitta coruo annulum rece-

---

\* vid. *infra* §. 8. *huius capitis*.

\*\* *Res. Hungar. Decad. III. lib. IX. p. m. 519.*

*recepisse : Ioannem eximia deinde pulcritudinis adolescentem, materno iussu ad Sigismundum venisse, et ostendisse annulum. recognito regem annulo praediis ac villis eum ample donasse. etc.*

§. III. Paria fere Bonfiniique verbis plane consona, mutatis saltem nonnihil circumstantiis, suppeditat generosus Dominus de ZIEGLER, in laudato supra opere Germanico, \* ita perhibens: Als sich der Keyser und König Sigismund in Siebenbürgen aufgehalten, soll er sich in eine schöne adliche Wallachin dergestalt verliebet haben, daß nach entfallenen Blättern sich die Frucht geäußert und sie einen Sohn zur Welt gebracht. Hierauf habe er sie herrlich beschencket, und ihr unter andern einen kostbaren Ring gegeben, mit bedeuten: das Kind wohl zuerziehen, und wenn es erwachsen, ihm mit diesen Zeichen zuzuschicken. Nachmahls habe sie sich einem Wallachischen Edelmann, nachdem sie iedoch demselben ihres Zustandes verständiget, vermählet, und NB. mit demselben diesen Johannem gezeuget. Als nun einst dieses Kind in der Mutter Schooß mit diesen Ringe gespielet, sey ein Raabe herben, und mit dem erschnappten Venck-Ringe davon geflogen. Der Mann aber wäre dem Raaben nachgegangen, habe denselben mit einem Pfeile erschossen, und also den Ring wieder erhalten; Welchen der erwachsene Johannes dem Keyser auf Geheiß seiner Mutter, gebracht, und davor sehr herrlich beschencket worden &c.

§. IV. Ex his igitur, si verae essent, narrationibus corroborari facile possent hominum maledicentissimorum calumniae, quibus Ioannem nostrum inter spurios aut adulterino ex congressu genitos numerare luhit.

---

\* Schauplaz der Zeit. ad diem X. Septembr. p. 1117.

buit. Proinde nec mirum adeo fuisset, si modestorum quoque scriptorum aliquos his nugis deceptos vidisses; prout ipse AENEAS SYLVIVS vagabundo huic rumori fidem habuisse, nonnullis (at perperam) creditur, quando de Hunniadis ortu frigidiusculé scripserit, eundemque Valachum, haud altis ortum natalibus, vocauerit. \* Quin nec exiguus est illorum numerus, qui laudatum comitem de NADASD \*\* in eadem cum aliis sententia fuisse autumant, vt obscuram Ioannis Coruini originem, ipsumque adeo nothum profiteri non erubuerit; quos tamen omni destitutos fundamento falli et fallere arbitramur. Interea dubium non est, corrupto istius seculi more quam plurimos exsitisse, quibus in magnorum famam heroum pro libidine grassari iucundum fuerit, uti ipse suo expertus est exemplo Matthias Rex, Ioannis filius, quem nunc *Valacha gente oriundum, nunc hybridam ac dissimilis linguae parentibus editum*, Hungariae proceres adpellitabant, teste *Bonfinio l. c.*

§. V. Nunc vero quam firmo stent talo recensio- nes supra adductae, paucis age exploratum ibimus. Sane si ista omnia, quae plebeiis homuncionibus vero videntur similia, prudentiorum statim adsensum mererentur, dubito an vlla vnquam felicior et huic fini aptior enasci fabula potuerit, quam quae tot speciosis sub circumstantiis de Ioannis nostri origine fabricata fuit. Verum quo minus ita sentire liceat, variae quas modo commemorabimus rationes obstant. I. Cuius in historiarum monumenta inquirenti patet ad oculum, nihil hic inue-

---

\* *In Hist. Europae cap. I. p. m. 223.*

\*\* *in Mausoleo Regum Hung.*

inueniri praeter meras traditiones, partusque (ut ita loquar) illegitimos, quorum parentes lucem subterfugiunt; nulla hic coaeuorum scriptorum testimonia, ne vola quidem apud vernaculos aut Hungariae vicinos, nec ullum quo inniti possis vestigium. Quod enim laudatos adinet viros, *Bonfinium* ac *Zieglerum*, tantum abest vt huic historiologiae subscripserint, ut nugarum potius atque calumniarum coetui illam adiudicauerint, vt infra a nobis ostendetur. Quin si vel maxime *Aeneam Syluium* in suas trahere partes voluerint mendacii huius parastatae, parum tamen praesidii inde acquirerent; cum nec euincere id ex verbis eius supra citatis possint, neque etiam unius viri auctoritas omnem falsitatis suspicionem auferre valeat.

§. VI. Accedit II. quod omnia ista quae de inpraegnatione puellae Valachicae a Sigismundo, cum in Transsylvanis ageret, vitiate dicuntur, cum ratione temporum, fatisque quibuscum Imperatori tunc conflictandum erat, conciliari haud quaquam possint. Hunniadem enim anno circiter secundo seculi decimi quinti natum fuisse, ex sedula annorum connumeratione omnino colligimus. quo igitur pacto Sigismundum patrem habere potuit, cum certissimum sit, laudatum principem aliquot ante et post annis Transsylvaniam non intrasse? Ita enim sentire nos iubent testimonia MICHAELIS RITII, \* BVCHOLZERI, \*\* et GALVISII, \*\*\* qui Sigismundum Imperatoria dignitate nondum ornatum, in ad-  
fli-

---

\* *de Regib. Hungar. l. 2.*

\*\* *Isagog. Chronol. ad ann. 1401.*

\*\*\* *Op. Chronol. p. m. 773.*

ficto rerum statu tunc vixisse (captius enim aliquamdiu ab Hungarorum coniuratis tenebatur) nec quidquam praeter vitae suae securitatem regnique iam amissi recuperationem meditatam fuisse, perhibent; tantum abest, vt in his constitutus angustiis latius diuagari, aut in-concesso veneris vsui apud exteros indulgere potuerit. Nec est quod obiicias: voluptuosum Sigismundi genium nihilominus incitare ipsum potuisse, vt in mediis quoque calamitatibus a libidine carnis haud abstinerit etc. quamuis enim τὸ ἀδύνατον in hac re adstruere non opus sit, haud tamen exiguae temeritatis foret indicium, Regi optimo ea tribuere, quibus perpetrandis absentia ipsius obicem posuit.

§. VII. Nolumus hic prolixius notare ea, quae contradictionem manifestam in hac narratione arguunt; quando illustris *Zieglerus*, quem vernaculo sermone scribentem supra adduximus, initio quidem rem ita exponit: *Es habe (bey der Wallachiu) nach entfallenen Blättern sich die Frucht geänffert, und sie einen Sohn zur Welt gebracht* &c. quibus ille, ex aliorum licet sententia. puellam a Rege grauidam filium enixam esse perhibet, mox vero interiectis nonnullis pergit: *Nachmahls habe sie sich einem Wallachischen Edelmann, , , , vermählet und NB. mit demselben diesen Johannem erzeuget* &c. quae sane cum antecedentibus minime conueniunt, cum eundem Ioannem nunc ex Valacho marito conceptum referat, quem antea e Sigismundi congressu prosatum dixisset: talia, inquam, vrgere vberius nostrum non est, cum haec et similia scriptorum παραδόματα excusari a lectore aequo facile soleant. Istud vero praeterire penitus non licet, quod III. suspecta nonnullis videatur ista traditio, quia puerum hunc ab imperatore patre praediis tantum ac villis donatum ait, quale quid ab homine inferioris

rioris quoque sortis, qui nec regiam aequiparat dignitatem, nec Sigismundi ταψείλειν adaequat, dono aliis dari solet. Et haec praecipue Bonfinium permouit ratio, ut suo comprobare calculo nugas istas noluerit, ceu ipsemet fatetur: *quod si*, inquit, \* *vera haec fabula fuisset, quis ambigat, Sigismundum profusissimae prodigalitate Imperatorem non solum agro, sed regno, cum virili prole careret, hunc esse donaturum?* reliquas enim sive dignitates, sive terrarum possessiones, quas adeptus est Coruinus, non certe ex Imperatoris Sigismundi habere potuit munificentia, utpote quas defuncto demum illo partim benigna sors adiecit, partim proprius ipsi labor ac fortitudo conquisiuit. \*\* Interim quam ob causam praedia quaedam a Caesare acceperit Ioannes, id infra a nobis ostendetur. \* \* \*

§. VIII. Superest ut nunc IV. addamus, quam minime fidem nostram tota illa historiola (si ita loqui fas est) mereatur, cum falsitatis alicuius iam pridem penes cordatos homines excitarit suspicionem. Certe enim non ἀπερισκέπτως dicta sunt, quae Bonfinius imprimis \*\*\*\* et cum eo Zieglerus \*\*\*\*\* tradit, quod omnis haec narratio vel vicinarum gentium, vel certi cuiusdam hominis, qui Coruinorum nomini inimicus fuit, figmentum sapiat. Ita enim ille (priusquam fabulosos de Hunniadis ortu sermones enumerasset) suum de hac re iudicium exponit:

---

\* *rerum Hungar. Decad. III. C. IX. sub fin.*

\*\* *conf. Aeneam Sylv. Hist. Bohem. it. de Europa, passim.*

\*\*\* *cap. III. §. 2.*

\*\*\*\* *l. c. p. 519.*

\*\*\*\*\* *l. c. p. 1117.*

nit: *Quin et Alamanni, suapte natura Hungaris infensi, ne Coruino sanguine Matthias ac pater, quem admodum gentilitia corui insignia testabantur, natus esse videretur, auctore Ciliae olim Comite, fabulam haud quaquam insulsam commenti sunt, etc.* Nimirum inuisa res fuit Vlrico Ciliae Comiti eiusque sodalibus, tot praeclarâ Ioannis cernere tropaea, tot vndique collatos ipsi honores, et in gubernando imperio felicitatem plane incredibilem videre, ceu patet ex AENEASylvio, \* cuius ita se habent verba: *Ioannes Hunniades per idem tempus Hungariam fere uniuersam in potestate habuit, regiae arces in manu eius fuere, equestres pedestresque copiae vni ei paruere: Id nonnullis regni baronibus inuidiosum ac molestum erat, atque inprimis comiti Ciliae, qui NB. locum eius optabat, nec post electionem ab eo promissum acceperat aurum etc.* Hinc ergo illae inimicorum lacrymae, hinc illa fabularum in ignominiam tanti herois confictarum origo: quandoquidem, cum famae et existimationi eius nocere aliter non potuissent maleuoli, adgressi sunt id quod impotentum alias est, et nugis hinc conquisitis honestissimum viri genus et familiam calumniari, atque ita ciuibus exosum ipsum reddere ausi sunt. Ceterum quam sollers fraudum fabricator, quamque feralis Coruino aduersarius fuerit Ciliae Comes supra nominatus, id luculenta admodum testimonia docent; quae, si cui volupe est, apud *Sylvium l. c.* deprehendi poterunt, ut dubium adsit nullum, quin et huius opprobrii auctorem illum recte nuncupauerit *Bonfinius*, quamuis recepto calumniatorum more nomen suum praefigere non sustinuerit.

CAP.

---

\* *Hist. Bohem. cap. LXVI. p. m. 114.*

## C A P. III.

*In genuinam Hunniadis originem  
ac familiam inquiri.*

## §. I.

Quod multis oppido magnatibus vsuuenit, vt illustri quamuis orti sint prosapia, nomenque et insignia maioribus suis vsitata gerant, iniuria tamen temporum, vel fatorum inclementia ad eam nominis obscuritatem redigantur, qua vix ab infimae sortis homuncionibus dignosci queant; id sua iam olim aetate experiri debuit fortissimus Hungariae gubernator Ioannes Hunniades. Illum siquidem obscuris ortum natalibus, vel ignobili stirpe natum esse, multorum sane fuit sententia\*, praeterquam quod alii dubitanter ac citra omne cavillandi studium, aperte vero alii et conuiciandi animo haec iactauerint. Postquam igitur ignominiosas illas obtrektorum nugas reiecissemus, eo iam adlaborabimus, vt honestam Ioannis nostri originem, quanta fieri potest breuitate, vindicemus.

§. II. Huius vero rei ansam nobis suppeditant ipsa Ioannis cognomina, quorum iteratis hucusque vicibus facta fuit mentio. Nimirum quando *Hunniadem* aut

C

Hun-

---

\* vid. *supra* §. 4. *cap. II.*

*Hunniadianum* (ceu loqui amat P. CALLIMACHVS, \*) vocari ipsum vidimus, respectum eo ferunt fuisse ad natiuitatis locum eius, mediocre quoddam Transsylvaniae oppidum; de quo ita IO. CVSPINIANVS: \*\* *est in ea* (Transsylvania) *oppidum Hunniad, loci natura munitissimum, unde Ioannes pater diui Matthiae Regis oriundus fuit.* Verum quo minus coniecturae huic subscribamus, obstant antiquorum testimonia scriptorum, Ioannem in pago quodam a Romanorum colonis condito, \*\*\* natum fuisse, perhibentium; vicus ergo Hunniad inter reliquias praediorum, quibus a Sigismundo donatus fuit Ioannes, quaeque *Hunniadica* tunc dicebantur, referendus erit; vti testis est *Bonfinius* \*\*\*\* *Sigismundum fama paterni* (Coruini) *nominis Ioannem adhuc ephoebum e transalpinis oris, ubi sub duce Philippo Mediolanensi stipendia merebatur, in Transsylvaniam transtulisse, HUNNIADICIS praediis prope Valachiam sitis, ob rem bene gestam, donasse etc.* Proinde habere quidem id nominis potuit Hunniades a suis praediis, quamuis neutrum illorum natalis ipsi locus existerit; vti haud infrequentem hunc morem penes Romanos olim, atque gentes cultiores alias fuisse, constat. Vnde vero Hunniadicorum nomen praediis illis fuerit impositum, an ab Hunnis, vagabundo illo populo? an aliunde? praestat intactum relinquere, quam incertis admodum vti coiecturis: cum nostri muneris non sit, vl-

te-

---

\* *in hist. Reg. Vladisl. seu de clade Varnensi.*

\*\* *de Imperatoribus p. m. 482.*

\*\*\* *vt infra videbimus §. 6. 7. huius cap.*

\*\*\*\* *Decad. III. Lib. IV. p. m. 424.*

terius progredi, quam quidem ipsius propositi ratio exposcit.

§. III. Plus vero habet momenti alterum illud Iohannis cognomen, quo *Coruinum* ipsum adpellitatum, multoties diximus. Hoc sane tantum abest vt ipsi opprobrio cedat, aut spurium illum fuisse indicet, (quod quidem fabulae supra reiectae peruelint auctores) vt potius laudatissimi generis, quod ex incluta Romanorum gente deriuatum fuit, antiquitatem ostendat. Fortassis operae facturi sumus pretium, si rem adeo iucundam a limine salutemus, atque vti a praestantissimis scriptorum accepimus, eandem prosequamur. Hic vero ne vltius, quam par est, diuagemur, aut cum Bonfinio, iam ante conditam urbem Romanorum, Coruinos exstitisse, immo in Iouem ipsum prae nimia vetustate genus illorum referri posse, sine fundamento statuamus; age narrationis huius primordia ab eo capiamus, quem primum isto *Coruini* nomine insignitum, certo nouimus.

§. IV. Fuit ergo is *Marcus Valerius* eques Romanus, et militum tribunus, ex antiquissima Valeriorum ortus prosapia, qui teste LIVIO,\* fortissimis heroum L. Furio Camillo dictatori, et P. Cornelio Scipioni magistro tunc equitum, coaeuus fuit. Horum alteri, Camillo inquam, in expeditione contra Gallos seditiosos socius factus, praeclara magnanimitatis et audaciae suae specimina edidit, in duello maxime, quod cum Gallo quodam, proceri ac robusti corporis homine, iniit; de quo ita *Liuius*: \*\* *Quum stationibus, inquit, quieti tempus*

C 2

te-

---

\* *Lib. VII. c. 25. seq.*

\*\* *l. c. cap. 26.*

tererent, Gallus processit magnitudine et armis insignis, quatiensque scutum hasta: cum silentium fecisset, prouocat per interpretem unum ex Romanis, qui secum ferro decernat. Marcus erat Valerius tribunus militum adolescens, qui - - - prius sciscitatus consulis voluntatem, in medium armatus processit. Minus insigne certamen humanum numine interposito Deorum factum. namque conserenti iam manum Romano coruus repente in galea consedit in hostem versus; quod primo ut augurium coelo missum, laetus accepit tribunus: precatus deinde; si diuus, si diua esset, qui sibi praepetem misisset, uolens propitius adesset. dictu mirabile: tenuit non solum ales captam semel sedem, sed quotiescumque certamen inritum est, leuans se alis, os oculosque hostis rostro et unguibus adpetiit: donec territum prodigii talis visu, oculisque simul ac mente turbatum, Valerius obtruncat. coruus e conspectu elatus orientem petit. Pergit dein Liuius et laudatum tribunum decem bobus aureaque corona donatum, immo Marci postea Valerii Corui nomen adeptum, summo fauore populi tres et viginti natum annos consulem renunciatum fuisse, adfirmat. Iungamus huic memorabile prorsus EVTROPII testimonium, quo auspicati illius certaminis euentum, secutumque Coruini nominis decus profitetur: \* cum profecti essent (Romani) aduersus Gallos, duce L. Furio, quidam ex Gallis unum e Romanis, qui esset optimus, prouocauit. Tum se M. Valerius tribunus militum obtulit; et cum processisset armatus, coruus  
et

---

\* Lib. II, c. 3.

*ei supra dextrum bráchium sedit. mox commissa aduersus Gallum pugna, idem coruus alis et unguibus Galli oculos verberauit, ne rectum posset adspicere. Ita a tribuno Valerio interfectus, non solum victoriam ei, sed etiam nomen dedit. nam postea idem Coruinus est dictus. Ac propter hoc meritum annorum trium et viginti Cos. est factus. Sane quam honorifica Romanis fuerit Valerii huius memoria, vel inde concludi licet, quod consulari aliquoties dignitati eum admouerint; idemque sella curuli semel ac vicies sederit, quoties nemo alius. \* Accessit peculiare Dei donum, longacuitas eximia, quae paucis isto viuentibus seculo contigit, vt testis est M. T. CICERO, \*\* qui Marcum Valerium Coruinum, ait, ad centesimum annum vitam perduxisse, cum esset exacta iam aetate in agris, eosque coleret: cuius inter primum et sextum consulatum, sex et quadraginta anni interfuerunt. \*\*\**

§. V. Ex hac tam fortunata Valerii domo plures consules, dictatores, imperatores ac reges, vt ex equo Troiano principes promanasse, docet Bonfinius; quos inter eminuere M. Valerius M. Fil. Maxumus Coruus, qui cum P. Decio consulatum gessit, atque de Samnitibus triumphauit; M. Valerius M. Fil. M. Nep. Coruinus, Q. Caedicio in consulatu collega factus; Valerique Poplicolae quatuor eiusdem nominis, qui consulari partim, partim tribunitia dignitate ornati, quam plurimis in patriam meritis excelluerunt. Omnium vero praecipuus qui Iulii  
Cae-

---

\* vid. Plinius Lib. VII. c. 48.

\*\* de senectute §. 60. p. m. 553.

\*\*\* conf. Valer. Max. lib. VIII. c. 13.

Caesaris et Octavii Augusti floruit aetate, est *M. Valerius Messala Corvinus*, \* cuius postmodum e prosapia fuit famosa illa *Barbati Messalae* filia, *Valeria Messalina*, Tiberii Claudii coniux, de qua multoties hos fatus SVETONIVS \*\* cum senatus populique Romani decreto prouinciae inter consules distribuarentur, Messalae huic Liguria obtigit; idem vero aetate prouectior multis ac variis in rempublicam meritis claruit: erat enim ipsi non eloquentiae solum vis egregia, vt orationem eius latinam ipsi Caesares imitarentur; \*\*\* sed et fortitudo plane admirabilis, quam in bello maxime Romanorum contra Vticenses, et Augusti contra Antonium conspicuam reddidit. Successit filius *Valerius Messalinus Coruus*, pari genitorem virtute, parique ingenii dexteritate secutus; alius vero fuit *Messala*, Aethiopiae praeses qui in potestatem habuit Thracias, Moesias, Dalmatas, Pannonios, Dacos exercitus, vt refert TREBELLIVS POLLIO. \*\*\*\* denique et *Vispianus Messala* claris idem maioribus egregius, qui TACITO teste Pannonios Moesiosque sedauit, atque ita Coruinorum nomen in prouincias Daciae

vi-

---

\* de hoc vt et de reliquis iam memoratis vid: omnino *Liuium Epit. Lib. XVIII. Lib. XXVII. c. 5. Lib. XXXVIII. c. 35. conf. IO. GE. GRAEVII Thesaur. Antiquit. Roman. Tom. VII. p. 1091. seq.*

\*\* in vita *Tiberii Claudii cap. XXVI. conf. notas Schilddii h. l.*

\*\*\* teste *Suetonio*, in vit. *Tiberii Neronis, cap. LXX.*

\*\*\*\* in vit. *Diu. Claudii cap. XV. XVI.*

vicinas transtulit. \* Probat autem Bonfinius l. c. quod Coruini gentis vestigia inter Pannonos Dacasque iam ante inuenta fuerint, cum M. ille Messala, quem supra laudauimus, gentes istas, iubente Augusto Caesare, debellarit, indeque *prouincia Valeria, quae Danubicum inter Drauumque iacet, ab isthoc Valerio Messala Coruino nomen acceperit.* Quin et *regionem quae inter Dalmatiam et Pannoniam sita est, a Messala Coruino, Coruaciam nominari, idem contendit.* praeterea prope *Theutoburgium Coruacum oppidum a Coruinis, forte per colonias illic translatis, aedificatum, ex fide dignorum lectione annalium adfirmat.*

§. VI. Succedentibus vero temporibus numquam defuere apud Pannonas, qui de Coruinorum prognati essent sanguine, vt luculentis omnino testimoniis statuminat Bonfinius; cui inprimis id dicitur vetusta quae in Pannoniis ac Dacis epigrammata inuenta sunt. Ita enim prouocare ipsum videmus, ad monumentum aliquod in terris istis reperiendum, cuius summam l. c. exhibet: *Valeriae Cocceiae, inquam, quum Valerii et Coruini (vt supra memorauimus) congenitiles fuerunt, epigramma tale est:* COCCEIAE VALERIAE P. TENACIVS GEMELLINVS AVG. COL. APVL. EX TESTAMENTO P. TENACII VINDICIS E LEG. P. CL. D.D.D. Huic mox superaddit aliud, quo Coruinorum idem in Pannoniis memoriam vindicat; *Valerius Elidorus, vt in sepulcro quodam in Budae suburbanis legimus, magna*

---

\* de his singulis videri possunt A. HIRTIVS *de bello Afric. p. 116. seqq.* TACITVS *Annal. Lib. XI. cap. VII. Lib. III. c. 34. Hist. III. cap. 9. 11.*

*gnae tunc auctoritatis in Pannoniis est habitus. etc.* Plura hunc in finem cumulauit scriptor meritissimus, quam quae ad verbum describi debeant; vnde si curiosum lectoris oculum eo ablegemus, vbi ad satietatem vsque expleri poterit, non forte incuriae alicuius notam merebimur. Vnicum saltem iuuabit monuisse, quod praeter Bonfinium alios quoque permouit, vt Coruinam gentem, Romanas inter colonias, in Dacorum, Valachorumque regiones transuectam, numquam ibi defecisse, crediderint. nimirum sua adhuc aetate superfuisse in Transsylvanianis terris pagus, quem *Coruinum* dixerint, aliquoties testatur ipse Bonfinius; hunc igitur a conditoribus suis nomen accepisse, non est quod ambigamus; quemadmodum et reliquorum memoria Romanorum superstes ibi mansit, vti non abs re idem iudicat: \* *Quamquam variae barbarorum eruptiones, Daciam populi Romani prouinciam, et Getarum regionem una cum Pannoniis inundassent, coloniae tamen legionesque Romanae quae recenter excreuerant, non potuerunt interire. Inter barbaros obrutae Romanam tamen linguam redolebant, et ne omnino eam desererent, ita reluctatae sunt, vt non tantum pro vitae quantum pro linguae incolumitate certasse videantur.* Atque eadem prorsus ratione factum esse arbitramur, vt in Gallorum pariter ac Hispanorum, addo et Sclauoniorum terris hodie dum aliqua Romani sermonis vestigia adpareant; cum frequens Latinae linguae vsus, aut dictionis saltem cum ea conformitas, priscam Romanae gentis mansionem ibi fuisse testetur.

§. VII.

---

\* p. 519.

§. VII. Tot igitur manifestae veritatis indicia, dubium nobis relinquunt nullum, quin ex supra nominato Coruinorum pago natus Ioannes, eodemque postea decoratus cognomine, originem suam ad antiquos illos Romanorum heroes recte omnino referre potuerit. Equidem ad parentes quod adinet, patrem *Buthonem* Valachum nobilem, ex Romanis superfuisse colonis, matrem vero *Elisabetham Palaologam*, natione Graecam, veteri atque imperatorio e sanguine promanasse, fide digni nos edocent scriptores. \* quae vero ipsis viuendi ratio, qui mores, quae possessiones aut facultates fuerint, id certum adeo exploratumque habere non possumus. Vero tamen perquam est simile, angustam ipsis rem domi fuisse, cuius molestiam nihilominus virtute in armis conspicua pater superauit, sibique et suis honesta non solum vitae subsidia promeruit, sed et filio ad maiorem fortitudinis gloriam adspirandi stimulos admouit. atque his incitamentis factum esse credimus, vt cum ephoebis nondum excessisset Ioannes, animosam statim indolem ostenderit, eandemque mox in castris Sigismundi, mox in ipsis praeliis abunde exercuerit. Tori deinde sociam accepisse fertur *Elisam Silagiam*, feminam honesto genere natam, ex qua filios duos, *Ladislaum*, *Matthiamque Coruinum* procreauit, quorum ille ob trucidatum a se Vlricum Ciliae Comitem capite mulctatus fuit; hic vero praeter spem expectationemque suam e carcere liberatus, Hungarici regni suprema fastigia adscendit. \*\*

D

§. VIII.

---

\* vid. *Bonfin. dec. III. l. IV. p. 424. l. IX. p. 515. conf. Dn. de Ziegler. l. c. p. 1116.*

\*\* vid. *Aeneam Syluium de Europa cap. I. p. 224. seq. Bucholz. Isagog. Chronol. ad ann. 1457. seq.*

§. VIII. Haec brevissimis saltem enumerare lubuit verbis, ne extra oleas vagari, aut a scopo remotius secessisse videamur. Reliqua Ioannis Hunniadis facinora, quibus in toga pariter atque sago immortalem se reddidit, sociumque suum *Scanderbegum* invictissimum, si non superavit, certe aequavit, nostrum non est longinqua narratione exponere: cui lubet, adire poterit P. H. CALLIMACHVM, AENEAM SYLVIVM, comitem de NADASD, ZIEGLERVM, G. A. SCHMIDTIVM, aliosque, imprimis vero BONFINIVM, \* inueniet ibi quae miretur, et quibus satis superque conuictus fiat animus, vera vtique esse ista elogia, quae Hunniadem Turcarum terrorem, Hungariae praesidium, populique sui decus et ornamentum fuisse, profitentur.

§. IX. Nos vero iam colophonem huic labori possemus imponere, nisi de Coruinorum insignibus, Matthiae potissimum regi usurpatis, paucula adhuc disserere constitutum esset. Nota omnino sunt numismata quaedam Hungarorum aurea, *ducatorum* vulgo nomine venientia, quibus praeter cetera regni Hungarici insignia coruus quoque annulum tenens rostro, impressus est; vt in schemate illos exhibet celeberrimus vir IACOBVS a MELLEN. \*\* Huius equidem auis imaginem in Coruini nominis memoriam expressam esse, plerique contendunt, causam vero quare annulum rostro suo ferat, diuersimode subiciunt. Ex antiquioribus nobis obuenit T. ALEXANDER  
COR-

---

\* l. l. c. c.

\*\* tractatu peculiari, cui titulus: *Series Regum Hungariae e nummis aureis collecta etc.* qui prodiit Lubecae 1699. conf. PHIL. IAC. SPENERI *Opus Heraldicum*, ad Tab. XIX. XXI. vbi aliis quoque magnatibus idem ferme insigne vsitatum esse, ostendit.

CORTESIUS poeta venustissimus, qui serione? an auita poetarum vsus licentia? insignium horum originem e somnio, quod *Elysa* Ioannis vxor Matthiae regis mater somniasse aliquando creditur, deriuare voluit. Quare iuuabit aliquos auctoris versus ex elegantissimo, quod in paucorum manibus est, carmine \* hisce paginis inseruisse:

*Tum coelum sua signa dedit, phoebaeaque lucem  
Natalem praedixit auis, quum decedit aethra  
Annulus in gremium matris delapsus Elysa.  
Ipsa sub umbrosa, fatorum nescia, quercu  
Carpebat placidam seclusa in valle quietem,  
Huic puer in somnis, vtero quem languida pleno  
Gestabat, subito foetae circum vbera visus  
Ludere, et infantis facto velut agmine in ora,  
Plurima praecipiti labentia flumina cursu,  
Pectore sub magno, dictu mirabile, condi.  
Quum subito gemmam digitis quae lapsa iacenti  
Errabat, rostro praepes librauit acuto,  
Inque sinum celsa demisit ab arbore coruus,  
Et leuiter molli distinxit lumina penna.  
Excidit extemplo somnus, tum laeta salutans  
Augurium, verbis supplex his diua precatur:  
Corue sacer, longa superis gratissime vita,  
Seu tu sponte venis nostri praesagus honoris,  
Seu Pater altitonans coelo te misit ab alto,  
Adsis, et tanto fortunes omine natum.  
Tu gentilis honor, cognomen nobile nostri  
Tu generis, te nostra ferent insignia semper.*

§. X. Prorsus vero aliter rem enarrat laudatus supra  
GEORG. ANDR. SCHMIDT, \*\* cuius Germano sermone concinnata haec sunt verba: Vom König Matthia dem tapferen Helden wird erzehlet, daß einst ein Raab demselben einen schönen Ring hinweg getragen, der König aber habe seinen  
Boz

\* de laudibus Matthiae Regis.


\*\* in tract. Germ. Sculptura historiârum memoratrice, ad Millenar. VI. Sec. V. Dec. IX. p. 204.

Bogen ergriffen, und den diebischen Raaben in offenen Flug und freyer Luft so gewiß gefasset, daß er ihm den Pfeil durch den Leib gejaget, darüber der Vogel mit dem Ring zur Erden gefallen. Zum ewigen Gedächtniß dieses Handels, ließ der König hernach die Ungarischen Ducaten schlagen, darauf ein Raabe gepräget, der in seinen Schnabel einen Ring hält, welche Ducaten insgemein die Käbler-Ducaten heißen ꝛ. Equidem vnde istam acceperit narrationem, non addit scriptor eruditissimus; nos vero citra dubium adsentimur iis, qui ex antiquo Hungariae chronico petitam illam esse, adseuerant. Vnde quid nobis hac de re videatur, saluo meliori iudicio, nunc enumerabimus.

§. XI. Nimirum explosa cum sit sententia illorum, qui coruum cum annulo, ex fabula ante a nobis refutata, Coruinorum insignibus insertum fuisse, perhibent, hoc quidem extra omnem controuersiae aleam positum esse arbitramur, quod iam ante diui Matthiae tempora, aliquod corui simulacrum penes inclutam Coruinorum familiam in vsu fuerit; quandoquidem nobiscum statuat toties citatus Bonfinius: *coruum igitur, inquit, iure Matthias Rex inter cetera domus suae insignia NB. retinuit, quando suae gentis exemplo, auspiciatissimo huiusce avis augurio, in magnis saepe periculis se usum adfirmabat.* Interim, quod aliis haud insolens est principibus, id a Matthia quoque factum esse, autumamus; nempe quod augmentum aliquod scuto atque insigni suo adiecerit, annulum corui rostro contentum, singulari quippe adductus casu, cuius ita reseruare memoriam voluit; siue is somnium a *Corteso* enumeratum, siue tandem (quod perinde nobis sit) furtiua fuerit annuli ablatio a coruo domestico, aut alio, perpetrata, quam quidem *Schmidtius* noster recensuit.

T A N T V M.

Loco: ταψείλειν lege: δαψείλειαν.




# N U N C I U M.

---

Opusculum promissum, cui titulus est:  
„HÁROM FONTOS ÉRTEKEZÉS  
HUNYADI SZÉKELY JÁNOS',  
Magyarországi Kormányzó  
és Erdélyi 's Havasalföldi Vajda'  
törvényes ágyból lett születésének  
bebizonyítására.

Jegyzetekkel közli  
Ponori Thewrewk József,  
Magyarországon és Erdélyben  
mind a' két Törvényszék' Ügyeinek  
hites Ügyésze."  
quo ocyus typis vulgabitur.

779485



---

PESTINI, 1824.

---